

accusantis. Ideo quisquis a quolibet criminatur, non ante accusatus supplicio detur, quam accusator praesentetur atque legum et canonum sententiae exquirantur.

10. Nec perfunctorie transeundum est, quod quidam volentes Rothadum statuere, qui nesciunt quae locuntur neque de quibus adfirmant, testimonia ex decretis Iulii papae¹ atque Victoris² et quorundam antiquorum apostolicae sedis pontificum ad suum confirmandum errorem adsumunt, dicentes, quod nullus episcopus sine auctoritate Romani pontificis possit deponi, cum sepe numero iudicia depositionis de episcopis in canonibus et in decretis Romanae sedis pontificum relegantur³. Et verum quidem nescientes dicunt, quantum ad verba pertinet, sed falsa pro veris adfirmant, quantum ad sensum pravae suae interpretationis spectat, sic de sacris canonibus facientes, sicut Petrus de Pauli epistolis quosdam egisse demonstrat, dicens⁴: 'In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem'.

11. Sic et isti, qui volunt libere licere sibi quod libet, hoc de canonibus proferunt, quod volunt, et hoc proferre detrectant, quod revereri et, ne in illa incidant, cavere attentissime debent. Sed, sicut scriptum est⁵, 'haec oportuit facere et illa non relinquere', hæc et illa proferentes atque tenentes debent intellegere non contraria sibi sacros canones decrevisse. Et utraque manu utentes pro dextera⁶ atque ut sapientes duos oculos habentes in capite⁷ intellegere debent non solum in regulis sacris, quæ eodem spiritu promulgatæ sunt, quo et sancta scriptura est inspirata, verum et in eadem sacra scriptura intellegentes scire studere quæ nesciunt, scilicet sententias non sibi invicem esse contrarias, quae insipientibus et in novo et in veteri testamento inter se discrepare videntur.

12. Cap. I. Dominus dicit per prophetam⁸: Nolo mortem peccatoris. Et de Heli filiis in libro regum legitur⁹, quia non poterant *patrem audire, quoniam voluit Deus eos occidere. *l. 41.

Cap. II. Et Salomon coniunctim dicit¹⁰: 'Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam', et: 'Responde stulto iuxta stultitiam suam'.

a) -ntur auf Ras.

¹) Vgl. Ps.-Jul. c. 6, HINSCHIUS S. 459 (J-K. f § 195). ²) Vgl. Ps.-Vict. c. 4. 5, HINSCHIUS S. 128 (J-K. f § 74). ³) 2. Petr. 3, 16. ⁴) Matth. 23, 23; Luc. 11, 42. ⁵) Vgl. Jud. 3, 15. ⁶) Vgl. Eccle. 2, 14. ⁷) Vgl. Ezech. 33, 11. ⁸) 1. Reg. 2, 25. ⁹) Prov. 26, 4. 5.